

1
NERS
1





CHRISTIAN ERNST GRAF ZU STOLBERG

1. Michaelis s. Joh. Georg. s. diff. de viro stante
inter Myrtos, Halle 1739.
2. Moller s. Christoph Gottl. s. diff. de genuina
vocab. xaraktir et ypostaſi notione.
Lipſie 1738.
3. Morheim s. Joh. Lauri s. diff. de iſu christo
vindice dogmatis de mortuorum ad
vitam redditu, Helmſt. 1740.
4. Müller s. Gottfr. Ern. s. diff. de papolatria.
Lipſie 1726.
5. Müller s. phil. s. diff. de jure Dei in Hamine;
jena 1701.
6. diff. de regno Iſraeli: restauratione
eocodilis lacrimans; jenae 1733.
7. diff. de Iſu christo deandropo; jena
1704.
8. Dei Caspi. gottfr. s. diff. de gloria
temporali mundi; jenae 1661.

m. 16

DISPUTATIO THEOLOGICA,
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,
FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,
DE
**ΑΠΟΘΕΩΣΕΙ
FANATICORVM,**

PRAESIDE
DN. IO. GEORG. NEVMANNO,

S.S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL.
ALVMN. ELECT. EPHORO, ACAD. BIBLIOTH.
H. T. DECANO,

PRO LOCO INTER CANDIDATOS THEOL.
OBTINENDO,

D. XII. CAL. FEBR. A. MDCCVL.

TVEBITVR

M. GOTTFR. SCHOENING,
ORD. PHIL. ASSESS.

VITEMBERGAE,
Apud IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHIVM,
Recusa 1737. (3)



PARVATI S. ANTONIOPOLIS
HEDERICUS AUGUSTINUS
HEDERICUS AUGUSTINUS
HEDERICUS AUGUSTINUS

AGAPE FANTASIA

PARVATI
DE TO GEORG NERVO
ALBUM LUX TYPHORO VGDINICIO
H. BECKNO
EXPOCO FINTA CANDIDATETZ THESZ
D. XI. C. THER. A. MULLER
TAVRITTA

M. GOTTFRI. SCHOFENING.

ABEG 10. CHRISTOPH. TYSCHHEGERICHW.
FEB 1515.



§. I.

Cum otii nonnihil dedissem hactenus perquirendae, quae hodie Ecclesiam infestat, Theologiae Mysticae; equidem animus erat, famosam illam de *πιστεωσις*, partem paulo explicare copiosius, & a vera illa *redefinitione cum Deo*, quam sacræ nobis literæ inculcant, luculentius distingueret: sed tamen, cum non opinanti succresceret uberrima rerum seges, adeoque vel ipsa me copia redderet inopem, aut certe distingeret, mutato, per rationem temporis consilio, delineare potius summa huius argumenti capita placuit, quam singula persequi, & ad calculum in præsenti, revocare.

§. II.

Pervetusta vox *πιστεωσις* est, & in Paganorum scholis primum enata, quibus *πιστεωσι*, *πιστεωσι* ac *πιστεωσι* promiscuo fere usu, dicuntur illi, qui vel ob generis splendorem, vel virtutis & meritorum gloriam in Deorum censum, prout suggerebat olim supersticio, referebantur. Postmodum vero a scriptoribus mysticis, qui ex Gentilium placitis, & Prophete-

pheterum oraculis, unum quoddam Religionis chaos conflaverant, in Ecclesiam invecta est, sic, ut observante Casaubono, vox θεωθῆναι Deum fieri, familiaris fuerit cum Patribus piis, tum præcipue Dionysio Areopagitæ. Ex I. ad Baron. Sect. 10. p. 61. Imprimis autem a Macario, illo Fanaticorum ocello, sensu mystico usurpatur, quando de eo, qui pravos superat affectus, inquit, αποθεότας ὁ τοιότος καὶ γίγνεται υἱὸς Θεός, talis deificatur, & sit Filius Dei, Homil. XV. & alibi, αποθεότας ὁ ἀνθρώπος deificatur homo, Homil. XXVI. id quod ex mente ejus tantundem est, ac eis θεοῦντος φύσις μεταβάλλεται, in naturam Divinam commutari, Homil. XXXIV. Hunc igitur Auctorem, in vicinis scholis tanto in pretio haberi, & vel omnibus Ecclesiæ Doctoribus præferri, non est, quod miremur; quando mysticis non nisi mystica placent; & similes, quod est in proverbio, amant labra lactucas.

§. III.

Neque vero hoc tantum verbo, suum illud mysterium exhaustiri posse, credunt mystici; sed uti perverse religiosi sunt, sic pervercis admodum horridisque & ex alto profectis supercilios, vocabulis, suam involvunt doctrinam. Itaque modo, per unionem et communionem nostri cum Deo, modo per Deificationem & Christificationem, modo per statum Deiformem illam edifferunt. Aliquando de conversione nostri in suam orig., de immersione sui in spiritum increatum, de consummata ascensione in Deum, de abyssali cum Deo identificatione; de transformatione in Deum, vel Christum, de experimental, ecstatica, simplificativa, effen-

essentiali, imo superessentiali ac superexcellentissima, vel superintelle^ctuali conjunctione nostri cum Deo, de amore Deifico, de confiricatione Deifica, de unitione Divin. & quæ hujusmodi sexcenta sunt, nugantur. Quibus, si ex Taulero, Weigelio, Schvvenkfeldo, Paracelso & Boehmio quædam farrago accederet, quid tandem, ad condendum Lexicon Latino-Germanico Barbarum crederes defuturum? Gisbertus itaque Voëtius de hoc argumento agens, non parum indignatur, terminos his Auctoribus usurpari, nec scriptuarios, nec genuinos philosophicos, sed metaphoricos, hyperbolicos aut catachresticos, & quasi Spagirico-Hermeticos, & Platonico-Aristotelicos cap. III. de Exercit. Piet. p. 80. Et causa omnino est, cur detestemur cum Apostolo βεβήλως τὰς κανοφωνίας profanas illas vocum inanitates, ceu αὐτιθέσεις τῆς ψευδωνύμης γνώσεως, i. e. assertiones false sapientiae, quæ divinæ e diametro adversantur, i. ad Tim. VI, 10. conf. i. ad Cor. I, 17. c. II, 14.

§. IV.

Jam, per leges Methodi, pergendum erat ad Definitionem hujns Apotheoseos. Sed quam mihi chimæra definitionem dederis, aut quam saltēm descriptionem Φαντασμάτων, δια γίνεται πατὰ τὰς ὑπνους; Sane Philosophos æque ac Theologos hanc tamē operam defugere, neminem latet. Est tamen, si quod ex mente Spiritus S. de profano hoc commento ferendum judicium sit, Apotheosis illa, nihil aliud, quam μετατευτικής τὰς δόγατα, seu irruptio in non visa, in quæ homo amente carnis suæ frustra inflatus (εἰκῇ

A 3

Φυσιο-

Quosqueveros ὑπὸ τοῦ νόμου τῆς σαρκὸς αὐτοῖς) sub Angelorum humilitate et sanctimonia, magna vi, aliquando etiam per læsionem corporis (ἀφεδία σώματος) contendit, ut palmam cum sibi, tum ipsis fidelibus intervertat; quæ totidem verbis ex Apostolo de prompta sunt Col. II. 18. 23. Et profecto τὸ εἰσβατένεν præalentis sententiæ verbum est, illudque in solidum exprimit, quod mystici, per ascensionem in Deum, immersiōnem in Spiritum æternum, et nescio quem, Dei contractum edisserunt. Neque vero haec tanta temeritatis in hominem cadit, ex Sacris literis illuminatum, sed in carnis prudentia turgidum & mentis vertigine laborantem. Hujus enim est commentitiis quibusdam vississe oblectare, & quandam inde apud simplices & incautos gloriam venari: quo tamen ipso & palmam fideli interverti & brabeum salutis eripi mortalibus, quis neget? Ne tamen ex ipso Scriptore quodam mystico, hoc mysterium non explicetur; Est cognitio Dei per essentiam, ut differit Carol. Heresiarius, inter Dionysii Interpretes non postremus, seu etiam Dei, ut in se ipso est experimentum; seu (adeo titubat in re non explorata) perfecta & exquisita Dei cognitio, super omnem aut sensus, aut mentis operationem, super affirmationem, aut negationem, quæ intima essentiae animæ, eum essentia Dei, unione & coniuncti, cum summa pace, silentio, & ignoratione perficitur. Definitio hæc (an definitio, quæ alterius definitiones indiget?) summa eorum est quæ a Dionysio hoc libro evolvuntur, quæ maxime consentiunt cum decretis, quæ non tantum Divini rerum Mysticarum Scriptores, sed etiam Philosophi Platonici, super hoc Theologiae genere scripta reliquerunt. App. ad Dion. Areop. Theol. Myst. p. 13.

§. V.



§. V.

Quodsi vero in monstrosae hujus *ἀποθεώσεως* na-
tales paulo inquiramus altius; a primo malorum fon-
te, Diabolo, ejus arcessenda origo est, quippe qui
verbo Divino contempto, nefarieque detorto, spe,
cum sublimioris sapientiae, tum melioris fortunae, &
conditionis illiciebat primos mortales. Evidē au-
tem ad seducendum miseros efficacius reperiri pot-
erat, ipsi Deiformitatis persuasionē? וְיָהִוּ מֵאֱלֹהִים טֻבְּךָ עַל־
γίνεσθαι ὡς Θεοί, γνωσκούντες τὸ ἀγαθὸν καὶ πονηρὸν
Gen. III, 5. Atque hæc illa *ταύρεγγια* Serpentis in-
fernalis erat, qua metuit Apostolus, ne in posterum
quoque corrumpantur sensus fidelium, & a simplici-
tate fidei in Christum, abstrahantur. 2, Cor. XI. 3.

§. VI.

Nunc ante omnia investigandum nobis Princi-
pium cognoscendi est, seu prima illa hypothēsis, ex
qua hic error, ceterique omnes fluant, & in quam ire-
rum redeant, sicque adeo, ubi res postulat, inde de-
monstrari queant. Κάραπον nonnulli, quæ Mysti-
corum prima ad Deum ascendendi scala est, ut princi-
pium allegant, quorum tamen sententias non adduco.
Alii γνῶσιν εἰσαγόντες seu cognitionem sui, ut omnis Phi-
losophiae, sic hujus imprimis doctrinæ fundamentum
constituunt: Δύναται γάρ, γνωστικὸν γίνεσθαι Θεοί fieri pot-
est, ut cognitione praeditus, evadat Deus, quae Cle-
mentis Alexandrini vox est, magni Ecclesiae Docto-
ris, sed Platonicis studiis nimium immersi. Strophi.
L.IV. p.534. Ita sui cognitionem Pythagoræ & Plato-
nis

nis Scholae, ut principium & fundamentum totius Philosophiae statuebant ut Holstenius refert, de vita Plat. c. III.

S. VII.

Verum haec talia potius ad media hujus $\alpha\pi\theta\sigma\tau\omega\sigma$ retulerim, quandoquidem $\epsilon\nu\varphi\gamma\tau\eta\omega\varsigma$ se habere concipiuntur, ad sanctius illud consortium, cum Deo in eundum. Nobis in praesenti, de principio cognoscendi contentio est, quod $\delta\alpha\varphi\eta\tau\eta\omega\varsigma$ ad universam illum impietatem paganiorum rectius dijudicandum faciat. Neque vero alia, vel antiquior, vel ad demonstrandos ceteros errores idonea magis hypothesis suppetit, quam illa de duobus contrariis rerum principiis, quorum alterum Dei, alterum Materiae nomine efferebant: alterique ipsius boni, alteri vero mali originem tribuebant, adeo, ut animam quoque ipsius Dei, corpus vero materiae sobolem, & illum quidem $\epsilon\nu\varphi\eta\tau\eta\omega\varsigma$ seu coessentialm statuerent. Cum igitur animas hominum ex ipsam et essentia Dei effluxisse, & in corpus, velut quoddam mali ergastulum, conjectas fuisse fingerent Gentiles; igitur per quandam vitae disciplinam, certosque virtutum gradus, iterum illas purgari, ac perfici credebant possent, ut, vel in hac vita redunrentur cum Deo, & post obitum aliquando in ipsum divinae essentiae oceanum res fuerent, & sic denuo cum principio & fonte suo coniungerentur. Magnus in hac causa per omnem antiquitatem consensus est. Ita Socrates Apulejo interprete, mundi animam fontem omnium animalium, vocat, de Dogm. Platonis p. 32. Et cui non dictus Horatianus ille versiculus, de ani-

ma,

ma, ceu divinae particula aurae? Pythagoreis autem in universum omnibus, Tullius hanc sententiam tribuit, & explicat paeclare: Dum semus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, & gravi opere perfungimur. Est enim animus cœlestis ex altissimo domicilio depresso, & quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatisque contrarium (Adeo pulchre hypothesin de contrariis rerum principiis, cum origine animarum connectit,) sed credo Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur, qui que cœlestium ordinem contemplantes imitarentur eum, vitae modo atque constantia. (Sic miseri, quibus notitia Servatoris deerat, ad vitae modum atque constantiam se recipiunt, & suam vel inde sperant salutem) Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum virorum & auctoritas. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina (anima mundi) delibatos animos haberemus Cat. Maj. c. 21. De Platone res dubia est: quando alii ipsum magno numero hujus opinionis insimulant, alii vero exculpare conantur, ut Aug. Steuchus de perenni Philos. L. VIII. c. 1. & ex recentioribus Furnenckius T. VI. Philos. p. 36. Sed vero textus occurunt in Platone luculentii, qui de dispersione animarum loquuntur, cujusmodi sunt: cum fusis, inquit, & quasi sparsis (*σπαργεῖσας*) a Deo animis, fore, ut certis temporum intervallis nasceretur animal religiosissimum. Et paulo post: Cum autem animi corporibus necessario insererentur (*εμφυτευθεῖεν*) & ad

B

cor-

corpora tum accessio fieret, tum abscessio, necesse erat sensum existere unum &c. in Timaeo f. 41. 42. edit. Steph. conf. in primis ejus Phileb. f. 30. seq. Ut plura non cumulem. Vbi quidem, de insertione representativa tantum, atque assimilativa, non vero de substantiali, Philosophum loqui contendunt, sed quis hunc sensum, verbis nisi penitus contortis, inde eliciat? Ipse etiam Furnenckius; fatendum profecto est, inquit, bas loquendi formulæ esse omnino vituperandas & nescio quod erroris atque Caliginis sonare. l.c. Quicquid tandem de Platone sit, de cuius inconstantia longum fore dicere, Tullio judice. L. I. de nat. Deor. c. 12. Platonici tamen, ut Clem. Alexandrinus ait, mentem (νήσην) dicunt partis diuinæ in anima effluxionem (ἀποπόλαν) esse, animam autem in corpore collocant. Strom. V. p. 590. quo ipso tres illas hominis partes asserunt, quas hodienum Fanatici nostri defendunt. Itaque Iac. Thomasius, magni judicij Philosophus, errorem hunc paganum, de contrariis rerum principiis, & capitalem vocat & totius paganae impietatis fundamentum. Sebed. Hist. p. 37. Lipsius autem, in recensendis Stoicorum deliriis occupatus, unde haec talia? querit, & plane in sententiam nostram respondet: quia persuasum iis, a Deo, i.e. mundi anima, animam hanc esse. Phys. Stoic. L. III. p. 874. Postquam igitur Biblicalis loquendi formulæ involvi coepit haec doctrina, & cum unione Christi spirituali confundi, res male vertit deinceps, & in fanaticam hanc αποθεωσιν erupit.

§. VIII.

Quantum porro ad Subiectum artinet, & illud quidem mediatum sive *denominationis*, ut vocant, ex Apo-

Apostoli iudicio, homo est, mente carnis frustra inflatus. Oportet enim gnauiter impudentem esse, qui Dei usurpet honorem, & vel Christi, vel Spiritus S. vel ipsius DEI nomen, temerario quodam ausu fibi tribuat; quae tamen arogantia dicam, an idololatria? in mysticis omnium retro temporum deprehensa fuit. De Simone Mago, et præcipuo ejus sectatore Menandro, id constat ex Irenæo. L. 1. c. 26 adv. Her. Nec minus de Gnosticis id proditum est ab Epiphan. Her. 26. p. 91. de Massalianis item Her. 80. p. 1069. Imprimis autem de Manichæis, uti Auctor est Augustinus c. Faust. Man. L. III. p. 169. De Davide Ioris, VVeigilio, Stigelio, Boehmio, Naylore, & Tremulorum secta nihil addo, cum deliriis propiora sint. Vid. Colberg. Christian. Plat. P. I. 297. 298. 359. P. II. 376. 368. Nec quemquam regenitum se Christum appellare posse, admitto, quounque id colore pallietur. Ipsum igitur D. Spenerum, dolendum est, in has $\chi\epsilon\nu\phi\omega$ viæ incidisse, aliosque, quod pace manum ejus dixerim, ad similes labyrinthos, elenchis suis invitasse. Ceterum, ex ipsorum mysticorum iudicio inter $\alpha\tau\omega\delta\epsilon\gamma\mu\sigma\omega\gamma\zeta$ referuntur, non, qui vel carnis concupiscentiis, indulgent vel mysteriis fidei leviter tinti sunt, sed qui triplici illa via: purgativa, illuminativa & unitiva incedunt, & sic per sanctimoniae & Theosophiæ studium ad internam illam cum Deo unionem pertingunt. Speciatim vero $\vartheta\epsilon\sigma\sigma\vartheta\omega$ esse volunt (α) in sublimi gradu purgatum. Ut enim animæ suam representant originem, eluere debent vitiorum sordes, & ab omni sese impuritate mundare. Oportet, Dionysius ille mysticorum Pater, inquit, eos, qui purgantur, prius effici omnino, atque ab omni dissimilitudinis commixtione

liberari, de Cœl. Hier. c. III. f. 151. Biblioth. Max. Nec tan-
 sum ab omni militia receâendum Deificis, sed imperterrita
 semper obstantum noxiæ remissionem, Gorderius ait, Isag.
 ad Myſt. Theol. Dion. c. V. p. 19. (β) affidue orantem; quam
 in rem abutuntur illo Paulino: ἀδιαλεῖτως προσέχεσθε
 i. Theſſ. V. 17. Uti enim Massaliani quondam seu Eu-
 chitæ, in quovis homine duas statuebant animas, &
 contrariam adeo virtutem per preces expellendam
 esse iudicabant, ut anima in consortium cœlestis sponsi re-
 cepta, Christum sese dicere posset, teste Epiph. I.e. Dam-
 asc. de Hæref. p. 303. ita ex eadem hypothesi, preces
 non ad cultum Deo præstandum, sed ad purgandam
 mali vim adhibent mystici, quas proinde, superatis
 difficultatibus, preces quietis & recollectionis, sive silentii
 appellant. Perseverandum enim est animæ, & luctandum
 cum difficultatibus, quas in interiore recollectione sentier,
 nec desistendum, donec sol intortis luminis oriatur, ut tra-
 dit Molinos. in Manuduct. Spirit. p. 94. Nimicum non
 mundo tantum aliisque mundi deliciis, sed externis
 quoque sensibus, quin & omnibus intellectus functio-
 nibus renunciat Deificatus, sic, ut in se ipsum de-
 scendat, & totum se contemplationi divinæ manci-
 pet. Evidem querit Arnoldus: Num Myſtica Theolo-
 gia ad vitam contemplativam saltem, non simul ad activam
 ducat, & respondeat, dari vitam medianam, sive mixtam,
 & ex utraque quasi compositam, in qua et laboribus
 perfungi homo, & contemplationibus divinis indul-
 gere queat; Hisp. Theol. Myſt. p. 43. sed responsio non
 ferit scopum. Nam mysticis resignatio non tantum
 est quaedam rerum mundanarum abnegatio, sed po-
 trius quaedam suspensio, seu somnus trium animæ faculta-
 tum sive potentiarum, sic, ut et sensus cessent, & ligetur
 memo.



memoria & ipsa imaginatio per intervallum exprimet, & anima abstupescat, ut jumentum; egregiam vero deificationem! prout illam ex hypothesi Mysticorum describit Boisvetus Tr. quem vocat *Mysticum in Tuto p. 60.* Denique (&) experientia edoctum & probatum esse volunt *Beatoe Qov.* Ubi enim rationem reddere nequeunt absurdarum quas fovent, assertionum, ad experientiam provocant, & hanc sibi magistrum depositum. Russchius certe, premissa doctrina: Patrem gignere filium in anima nostra, pergit: Sed hanc Dei actionem nos comprehendere non valimus, neque captus noster eo penetrare potest. *Spec. et. Salut. p. 57.* Id quod ipsius Dionysii quoque, & Scholastiarum, quin & omnium Spirituum commune refugium est: uti ex scriptis illorum dispalescit.

§. IX.

Multo autem perplexior res est de Subjecto immediato seu perfectionis, si Theologiam mysticam terminis scholasticis comprehendere licet. Quando enim tres homini partes assignantur, & praeter animam & corpus, nescio quem spiritum constringunt, Platonicos imprimis secuti, multis iterum tricis se involvunt, & modo spiritum sive mentem, modo animam pro particula divinitatis venditant, quas tamen in praesenti mittimus ambages. Saltem quae de fundo, sive centro animae dispergunt, quandam quidem in hoc credunt perfici, despiciemus. Cum enim Deus hominem ideo consideret, ut se se cum ipso communicaret dubium non esse ajunt, quin homini singulari ratione praesens sit, nec in creaturis inanimatis

B 3

tis



tis aut vilibus, sed in nobilissimo animantium genere
 sedem sibi figat. Itaque in homine naturaliter ac necessari-
 o locus quidam dabitur, pro Deo Divinisque operationibus,
 Poiretus, mysticorum Promachus, inquit. Quem au-
 tem dicemus locum Dei esse? an corpus, carnem, aut san-
 guinem; minime. an imaginationem aut phantasiam: ne-
 que hoc: an rationem: at hic locus est imaginum & divino-
 rum operum, non autem Dei ipsius. Quemnam ergo locum
 hunc dicemus? consulamus Deum, quem sibi locum dari ve-
 lit, & audiemus respondentem: Fili da mihi, cor tuum.
Hic, hic est locus ejus exclamat, hoc centrum animae.
 Oecon. Div. Lib. III. p. 689. Idem & fundum anime,
 quin & punctum saliens cum mysticis vocat, per quod
 Deus accedit, & sese vere manifestet. Deus non est in
 loco extra nos posito, ait, ex quo radios suos emittat, ac
 per aerem ad corda usque nostra trajiciat: sed Deus per
 naturam suam & necessario in se ipso est, aut in propria co-
 cogitatione sua; idemque secundum placitum suum, domi-
 cillum sibi facit in desiderio ac cogitatione nostra; cuius fun-
 dus centrumque & radix locus divinus est, quem Deus
 occupat, imo & punctum saliens, per quod Deus accedit,
 aut sese vere manifestat. Ille inquam per centrum intrat &
 pascit, indeque in uniuersum spatium ut ita loquar, totius
 anima, quod infinitum est, sese diffundit. ib. L. III. p. 668.
 Conferendus hic Ioannes Rusbrochius est qui inter
 veteres mysticos vere unus desiit nugari. Enim vero,
 inquit, celestis Pater noster, in regno anime nostra sic vi-
 vit, ut in se ipso, ibique supra intellectum in fundo intelli-
 genia nostra, incomprehensibilem nobis prestat claritatem
 suam, Paterque una cum Filio effundunt in nos supra vo-
 luntatem & actionem, immensum & inexhaustum amorem
 suum. Voluntas nostra in fundo bona voluntatis nostra igni-
 14



ta illa scintula est, & anima vivacitas, ubi Pater suum gemitum & utriusque immensa & infinita manat charitas. Varient licet sententiæ, & tenebris suis involvantur, tamen vel ex hypothesi περὶ αἰχῶν ἐναρτῶν suspectum mihi hoc commentum est; quandoquidem ignita scintilla & punctum illud saliens, quid aliud quam particulam divinæ auræ, spirant. Nec quenquam adeo hospitem in historia Manichæismi fore credam; quin has aut similes loquendi formulas, in eadem sibi observatas meminerit.

§. X.

Caeterum pergendum nobis est ad factae hujus ἀποθεώσεως causam, qualem quidem mystici commiscuntur. Nulli enim non excutiendi recessus sunt, ut mysterium hoc magnum, uti vocant, exploretur. Ac satis quidem sobrie Pater mysticorum, Dionysius differit, cum *divinum*, inquit, *Numen bujus disciplinae principium existit*, qua *santæ mentes in sui deveniunt cognitionem*. De coelesti hierarchia. p. 199. Et rursum: Dicimus, Dei principalem beatitudinem, quae natura deitas est, esse principium θεοποίησεως seu deificationis, ex quo it, qui deificandi sunt, deificantur. ibid. p. 194. Sed paulo post, Deum adeo immediate omnia hic agere, statuit, ut nulla vel verbi vel fidei habeatur ratio. Nam intellectio Dei (quae hujus loci est) non ex scripturarum auditu, nudave sacrarum doctrinarum pronunciatione existit, sed ex visionum etiam cognitione, ut ibidem Dionysius tradit, & S. Maximus in scholis p. 195. Ac proinde, qui in nomine quidem Christi credunt, ad perfectam tamen nostram non assurgunt, inter cœunūδ̄ 85 i. e. ab hoc mysterio longius

glos remotos refert Pachymeres, in paraphrasi ad Dionys. p. 341. Quid quod ipsius Christi Servatoris memoriam, una cum ceteris imaginibus rerum deponendam censeant. Nam Molinosi ac Malavalli recentium mysticorum assertio est: hominem per rotos triginta annos omni cogitatione de Christo carere posse; quod mediis uenidum non sit, cum ad finem peruentum est, uti refert Bossuetus *Mystic. in iusto. p. 76.* Ita mente carnis inflati, novi Spirituales, id unum agunt, ut Christum nobis eripiant, eoque palmam salutis intervertant.

§. XI.

At seclusis tandem ambagibus, edifferendum est, in quo *forma*, vel, ut in describendis rerum concepibus loquimur, *formalis ratio* fanaticae huius *αποθεωσεως* consistat. Ac *formam* quidem genericam, si requiras, satis est, *irruptionem in non visa*, quando *ἐμφανιστέροις* vix suppetit vocabulum, eandem cum Apostolo dixisse; quocum si periphrasim connectas, a *subjecto θεμένῳ*, ab *attributo*, angelica scilicet humilitate, a modo *operandi*, qui cum suppressione facultatum animae & iniuria corporis coniungitur, & ab ipso denique fine, qui fidei & salutis inversio est, depromptam, non appetet sane, quid ad experimendam illius *formam*, seu *differentiam specificam* desiderari amplius queat. Iam quanto conatu & molimine, in non visa penetrrent *Spirituales* illi, quam praeterea humilitatis & sanctimoniae speciem præ se ferant, quamque horrenda opinionum portenta cumulent, non licet mihi exequi in praesenti. Quot enim sententias, tot phantasie turbelas, imo quot opinationes a Scripturis abhorrentes, tot deliria obserues, quæ tamen ipsa verbis

bis & sententiis Scripturæ dolose involvuntur. Difficile autem est, aliorum somnia, maxime vero ex atrabili suborta, divinare. Quia tamen philosophiæ Scholasticæ ea felicitas est, ut uno quasi fasce diffusissimos rerum conceptus complecti possit, ponderatis plerorumque omnium sententiis, fanaticum hoc mystrium, *σεγνιῶς*; in abdicatione sensuum & functionum intellectualium *δεῖνῶς* autem in contemplatione divinae essentiae & unitiva, eademque immediata aeterni luminis contemplatione constituimus eo enim spirituales nostros pagana illa, de utroque rerum principio, hypothesis dicit. Audiamus Dionysium, quem omnes sibi ducem deligunt, ac magistrum: *Tu vero, chare Thimothee, in mysticis contemplationibus, intenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia & intelligibilia omnia, & ea, que sunt, & qua non sunt universa, ut ad unionem ejus, qui supra essentiam & scientiam est, quantum fas est, in demonstrabiliter assurgas; siquidem per literam & absolutam, & puram tuū ipsius a rebus omnibus avocatione, ad supernaturalem illum caliginis divine radium, detractis omnibus, & a cunctis expeditus, eveberis.* Theol. Myst. c. I. p. 339. Quem proinde secutus Reuchlinus: *Deficiatio est, inquit, cum ab objecto praesente per medium suum exterior sensus transit in sensuonem interiorum, & illa in imaginationem, & imaginatio in rationem, & ratio in intellectum, & intellectus in mentem, & mens in lucem, que illuminat hominem, & illuminatum in se corripit.* L. I. de arte cabalist. f. 617. Atqui hoc ipsum Platoni dicitur *δεῖνῶς τὸ ὄντως οὐ. i. e. contemplari ipsam substantiam.* in Phadro. p. 272. Porphyrio autem elevare se se πρὸς τὸ ὄντως οὐ. Part. II. Sentent. p. 309. Porro alii *δεῖνῶς*

C

hanc

hanc formam per immensionem sui, in divinitatis abyssum depingunt: Nam nihil aliud est, Rusbrochius inquit, quam cum amore ac desiderio conjunctus defluxus seu immenso sui in divinitatis abyssum, quam solo creato lumine nullus intellectus attingere potest: At ubi intellectus exclusus foris subsistere cogitur, eo affectus & amor penerant ac intromittuntur. Spec. et. p. 783. Nihilo etiam seniora sunt, quae Heinricus Harphius tradit: Sic Spiritus noster in suam originem, i. e. mentis apicem se convertens & ultra in Spiritum increatum se reclinans feliciter mereatur renovari. Quia dum increatae spiritui se totam immergit, & liquefcat, & in illam abyssum infinitam defluat denuo, semper illius imago rengvatur, ut audire feliciter mereatur: Filius meus es tu, ego hodie te genui. Et paulo post: O anima mea, unde profluxus tuus sum sis exordium? Nonne ex illa abyssu divinitatis velut essentia de essentia, vita de vita, intelligentia de intelligentia, lumen de lumine? Sed creaturaliter, non essentialiter: Non dea de Deo, sed deificata a Deo. In Theol. Mystic. Lib. V. collat. II. p. 683. Arnoldus hanc, ἀποδέων in Sophiae cum anima con-nubio ponit, quae hypothesis explosa jam alibi est. Molinosi autem, & Francisci de Salignaco, & Malvalli, hoc periculosior error est, quo apertius Servator Christus, ipsaque SS. Trinitas impugnat. Nam DEVS purus saltem contemplationis objectum est, inquiunt, nec quicquam addendum simplici DEI visioni, ac NB. nequidem ipse Christus aut personae divinae. Quo de vid. Bossuetus in Quietismo rediuitio p. 400.

§. XII.

Consequens hujus deificationis Proximum Status est, quo, postquam diuinior hominis pars ipso cum Deo coa-

coœluit, & cœlum phrasis habet, in diuinitatem absorpta est, mirifice gaudet atque exultat. Status noster otiosus, Rusbrochius inquit, Spiritus puritas est, vbi nos unum cum Deo, transformatosque in Deum & Spiritu defecisse & in Deum excessisse sentimus. Atque in ipsa unione unus cum eo Spiritus & una vita sumus: Sed tamen semper creature manemus. Specul. eternæ salutis. p. 59. Cum vero supra omnem modum sibi videantur esse beatū, Modiscientiam id vocant, verbo mysticis solenni. Modiscientia, inquit idem, est cognitio quedam modi expers, & in qua cunctæ actiones rationis deficiunt: cernit quidem aliquid, sed quid nam sit, ignorat. De vera contemplatione. p. 595. Atque in hoc statu vel minimum temporis momentum multis seculorum millibus æquiparari posse, quin & et declarando totidem secula non sufficere, testatur Poi-retus Oecon. L. I. p. 121. Qua quidem beatitate ita sibi blandiuntur nonnulli, ut vel Reges se putent, vel ipsius Dei solium in his terris tenere. Quem tamen alii detestantur furorem, sic ut pro Deificatis saltēm haberi gestiant, de quo vid. Harphius Thelog. myst. p. 683. Nam licet anima æternæ sit conformis sapientiæ, non tamen ipsa Deus est, nec natura divina. Filii Dei sumus, non quidem ex natura sed gratia, sicque simplices reddimur, quæ Rusbrochii modestia est. Specul. æternæ. Salut. p. 58-59.

§. XIII.

Sed nimis diu hæsimus circa explicandam fanati-
cæ ἀπωθεώσεως indolem: properandum nunc ad media est, seu vias, ut mystici vocant, per quas ad supremam hanc beatitudinem sese contingere posse

C 2

exi-

existimant. Tergemina autem via est, ut constat purgationis, scilicet, illuminationis atque unionis, ut ut ultima non tam via, quam terminus via mereatur dici. Quartam Rusbrochius addit, quam viam superessentia vocat, ceu summum perfectionis gradum. Est etiam quidam Sixtus Bergomensis, qui quinquaginta vias ad Deum ducentes commendat, in via mont. ad coelum. Sed trivium illud decantatum omnes Spiritualium rerum magisti amplectuntur, uti autor est Sandaeus in Clav. Theol. Mysticæ p. 360. Nam Platonici illud suam debet originem, quippe quitres virtutum classes constituebant καθαρινας purgativas, νοητικας intellectuales, & denique παραδειγματικа seu exemplares: quas quidem, a virtutibus politiciis, quæ in μετανοεσθαι consistunt, & ab Aristotele explicantur, distinguebant; eo, quod illæ πρὸς θεωπίαν, seu ad contemplationem insigniter facerent, ut ex instituto Porphyrius explicat Part. II. Sent. c. 34. p. 235. Negari tamen nequit; longe ultra ternarium hunc numerum aslurgere mysticos, cum veteres tum modernos. Nam aliud ipsis medium pervenienti ad hanc οὐοιωνινὴν est cognitio sui, aliud introversio & recollectio sui: aliud amor DEI purus, aliud mors sensuum & affectuum; aliud iustitiam rationis, aliud oratio quietis, & complura hujusmodi. Quæ tamen ita inter se cognata sunt, ut quandoque vix inter se discernantur. conf. B. Colbergium in Christianismo Platonicō, & Vener. Dn. Bucherum in Platone mystico, libris perspicue solideque scriptis, eoque juventuti nostræ vel maxime commendandis.

§. XIV.



§. XIV.

Denique, quae nostra de hoc commento mystico sententia sit, paucis, restat, ut edisseramus. Quanta verocunque dulcedine, Lectorem demulceat, quodcunque sanctimoniae & perfectionis studium ostentet haec philosophia, tamen, si ex vero rem aestimes, non secus ac pro *πενηντάρην* & inani deceptrice cum Apostolo habenda est. Haec enim illa, a qua suos revocans Apostolus videte, inquit, ne quis sit, qui vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem juxta decreta hominum, juxta Elementa mundi, & non juxta Christum: *Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Col. II, v. 8. 9.* Sed quam hic philosophiam indigitat Apostolus? non aliam certe, quam quae hac aetate maxime florebat. Itaque Pythagoreos haud dubie respicit, quippe quorum propria philosophiae vox erat, quam per modestiam p[ro]p[ter]e Sophia amplectebantur. Stoicas item; horum enim *ταξιδότοις* seu *decreta* erant; quandoquidem distinguebant illi philosophiam in dogmaticam quae *παραδοτοῖς* & *νοεῖσας δόξας*, seu ut Cicero interpretatur, *decreta continet*; & paraeneticam, quae p[ro]cepta ad vitam utilia inculcabat, de quo videlicet Lipsium in *manduct. ad P[ro]bit. Stoic.* p. 755. Platonicos denique, quippe quorum erant *σοζέα τὰ νόους* seu *Elementa mundi*, siquidem Platonici, referente Tullio, statuebant, & mundum Deum esse, & coelum & astra, & terram & animos, & eos, quos majorum institutis accipimus. *De Nat. Deor. L. I. Cap. XII. ed. Gron.* Atque haec non Deos, sed Elementa mundi esse, quis neget? Omnibus itaque his philosophorum familiis, cum hypothesis, de anima emanatione ex essentia DEI, & in eam-

C 3

dem

dem reductione, ut nobis supra evictum est, foverent,
 & cuivis homini sapienti τὸν θεότητα vendicarent;
 reclamat Apostolus diserte, & nullum hominum praeter
 Christum existere, inquit, *In quo θεός radet;* h.
 t. vicissim, cum illi quandam divinitatis particulam
 homini ingenitam fingerent, hic πᾶν τὸ πλήρωμα in
Cbriso inhabitare docet, atque hinc *decepcionem philosophiam* ex merito vocat; ipsosque Philosophos, ut
 carne mentes inflatos, & brabei-eversores, palam de-
 testatur.

§. XV.

Vt proinde ab ultimo regrediar, lubrica illa tri-
 plex mysticorum via est, & in praecipitis prae-
 sentissima abducit. Vnica ex adverso nobis, non terge-
 mina via & vita est, nempe CHRISTVS. *Ego sum*
via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem (nec reducitur
cum DEO,) nisi per me Ioh. XIV, 6. Triplex illa via,
 quantumque sanctimoniae speciem præbeat, mere-
 tamen legalis est, & fructus bonorum operum ex vi-
 ribus propriis & nescio quo purgandi studio promit-
 tit: at longe aliter habet doctrina Christi: *ego sum*
vitis, inquit, *vos palmitæ, qui manet in me, & ego*
in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil
potestis facere. Ioh. XV, 1.

§. XVI.

Tantum porro abest, ut unio illa mysticorum,
 cum unione nostri cum Cbriso quicquam commercii ha-
 beat, ut potius, toto, quod ajunt, coelo, invicem
 distent



dissent. Illa ipsius generationis & naturae, haec regenerationis ac gratiae beneficium est. Illa ex pagana hypothesi, de contrariis rerum principiis fuit, haec promissionibus Evangelicis innititur; quandoquidem per ἐπαγγέλματα consertes efficimur diuinae naturae. 2. Petr. I, 4. Altera illa DEVM fingit per rerum naturam diffusum, ex quo animi nostri decerpantur, & cum corpore coalescant: haec DEVM appropinquantem nobis facit, ut ipsimet Domino agglutinemur, & ipsius DEI trinarius templum evadamus, 1. Cor. III, 16. 17. 10. XIV, 23. Illa, si modum species, essentialis & corporalis est, dicente Arnoldo, Fanaticorum chorago, Gott wird mit unsren Verstand und Willen zu einen Geist, in des Wesens Einigung. Item: Dein Wesen hat in mir selber den ganzen Tempel Leib erfüllt. Ich muß in die vergöttert seyn, zum wesentlich geeintem Ein, &c. Myst. Sopb. p. 22. 28. 29. Haec contra duarum quidem essentiarum, at grata tamen & Spiritualis est; praeeunte videlicet Scriptura; quae non modo diuinae naturae κοινωνίαν asserit l. c. sed & Patrem, Filium & Spiritum S. i.e. DEVM triquatum inhabitantem in nobis Rom. VIII, 10. 11. 16. 17. 10. XVII, 20. 21. Interim mysterium hoc esse, & illud quidem magnum ac tremendum ipsomet cum Apostolo profitemur Epbes. V, 30. 32. Per illam denique mysticus sibi videtur evasisse DEVS, Christus & Spiritus S. at per hanc non nisi Filii DEI, Filii Christi, & Filii Spiritus S. sumus, testibus locis. Gal. III, 16. Rom. VIII, 9. 1. Cor. III, 21.

§. XVII.

Quod si justo ordine revertamur ad causam hujus unionis, absit, ut Deum immediate cum homine in rebus

nebus spiritualibus operari statuamus; & res divinas
citra notiones, & imagines, citroque discursum con-
cipi oportere arbitremur. Avocentur sensus ad in-
tra; neque tamen ligentur aut supprimantur, quo
minus in contemplationem admirandarum operum
divinorum excitentur, conf. Psalm. XIX, 2. Rom. I, 20.

§. XVIII.

Denique ut nihil quicquam de *Subiecto* addam,
quod ubi ex mysticorum legibus praeparaveris, ultro
patet, a fide & gratia Evangelica alienum esse; saltem
de pagano illo *principio* quod supra explicatum fuit,
observo, nihil illo foedius vel Paganismo proprius,
videri. Rejicit illud Historia creationis, S. literis re-
velata; anathemate ferit vetus Ecclesia Concilio Tolet.
c. 21. Concil. Braecarense I. c. 8. ipsi met gentiles ex sana
ratione deriserunt Philosophos suos; quod non viderint
distractiore humanorum animorum discripsi & lacerari Deum,
& cum miseri aniisi essent, cum DEI partem esse miseram.
Cic. Nat. d. I. I. c. 11. Dolemus igitur vicem Ecclesiae,
quod denuo infestetur Paganismo, vel
ab ipsis quondam Paganis
repudiato.

SOLI DEO GLORIA.



ED - Beg 2002

01 A 6739



5b.

D.

Rubr. ✓

46
J. 1. 1



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:3-3852/fragment/page=0028

DISPVT
RECTORE SEREN
FRIDER ELECTOR
ΑΠΟC
FAN.


DN. IO. G.
S.S. THEOL. I
ALVMN. EL

PRO LOCO

D. X

M. GO'

Apud IO. CH



Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
B.I.G.									